



320  
20

Z. n. 18.



18. iiiA.

37

\* \* \* \*

**E X E Q V I A S  
I N D I C T I V A S,  
V I R I  
Magnifici, Nobilissimi, & Consultissimi,  
D O M I N I  
A N T O N I I  
W I N C L E R I,  
J C t i   C e l e b e r r i m i ,  
C O N S U L I S   i n c l y t æ   L U B E C E N S I U M   R e i p .  
primi ac meritissimi,  
Frequentissimè concelebraturis,  
D. S. P.  
E N O C H U S   S V A N T E N I U S , R.**

---

**L U B E C A E,**

Typis Viduae B. SCHMALHERTZI,





\*\*\* \*\*\* \*\*\*

N consignandis antiquorum dictis factisque  
memorabilibus valens maximè scriptor,  
*Lib. VII. Cap. I. de Q. Metello Macedonio*, verè  
non minus quam eleganter commemorat,  
commemorando admiratur, admirando de-  
prædicat : quam allidua eminentis ejusdem, & ætatis, &  
doctrinæ, & virtutis, & dignitatis comes fuerit, volubilis  
alias, sed huic Viro constanter propitia fortuna : quibus  
semper augustis beneficiorum gradibus à primo originis die  
ad ultimum usque fati tempus, vix unquam cessante beni-  
gnâ fortis prosperæ indulgentiâ eum ad summum beatæ  
culmen vitæ perduxerit. Neque verò incommodum fue-  
rit verba scriptoris adjungere: *Nesci cum in urbe terrarum prin-  
cipe voluit fortuna, parentes nobilissimos dedit : adjecit animi rarissimas  
dotes, & corporis vires, ut sufficere laboribus possent : Uxorem pudi-  
citiam & secunditate conspicuum conciliavit, fecit, ut sobolem finis suo  
exciperet, speciosissimi triumsi pretextam, Consulare decus largita est.  
Hunc autem vite aërum ejus finis consentaneus exceptit, quia Q. Metel-  
lus ultima senectute spatio defunctus, leni mortis genere inter oscula com-  
plexusque charissimorum pignorum extinctus est.* Quando & unde  
virtuti *Metelliana* cognomentum prætoris *Macedonici* obti-  
gerit, *Paterculus* memoria proditum reliquit, testificans:  
quoniam præclarâ victoriâ & armis felicibus *Persecum* gen-  
temque *Macedonicam* superaverit, è fortunata virtute no-  
men ipsi inditum fuisse. Agnoscit idem profiteturque per-  
liberaliter, *Metellum* Romanæ principem magnificentia con-  
celebrari debere ideo, quod vix ullius gentis, ætatis, ordinis  
homo occurrat, cuius felicitas *Metelli* fortunæ comparari  
valeat: præter excellentes quippe triumfos, honores am-  
plissimos, & principale in Rep. fastigium, tam extentum  
vitæ ejus feliciter gloriose spatum exitisse, ut magis, de vi-  
tâ lavaviter migravisse, quam mortuus esse, existimetur.  
Unusquisque incorruptus Virorum rerumque æstimator  
haut ægrè feret, moribundi ipsius *Metelli*, convenientem fu-  
neri suo sermocinationem, aliquali sic imitatione exprimi:  
**A**ge, fui, dum fui, Senator, prætor, **Æ**ditilis, **C**onsul; **F**ui,  
**fui;**

fui ; sed jam rui, qvem & suspexitis, & amatis, & magnificistis, Quirites, annis nunc gravioribus propior *Metellus!* ingravescente valetudinis adverba fastidio debilitatus *Metellus!* foenebri curarum, muneris, variorumque ac multiplicium incursione fatorum probè exercitatus *Metellus!* Me tellus commune mortalium receptaculum jam jam suscipiendo teget, ut felicitatis humanae appellationem consummet tumulus Consularis, qvi se ulteriori qvorumcunque malorum incursioni objicit. Nec enim magno morborum difficultum & diuturnorum apparatu, nec molitione exquisitâ periculosæ ac marcidæ senectutis opus est, ut corporis atque animi, infirmo cohærens vinculo, societas dirimatur. Non me amplius turbulentior aliqua commovebit procella : expers ero ingruentium fortasse tempestatum: non perfensicam ullius mutationis anticipitem nimbum : nec vereor, nec paveo, nec caveo, si malignior fortasse fors nec dum imperavit sibi, importunissimæ oblivisci mutationis. Metat modò hic, modò ille, modò iste, quicquid mihi olim decoris, imperii, omnis denique gratulationis summa abundantia, veluti conspicuum propensiæ argumentum beatitudinis esse, voluerat. Capiat, quicunque capiet, teneat, servet, habeat, prehendat, pressisq; custodiat manibus, speratum obtentumque anceps emolumentum, fruatur eō splendidius atque diutiùs, quam mea fors eximia aliquando percepisse, aut fingitur, aut existimat. Evadat qvilibet dives jacturâ meâ! vivat adolescatque morte meâ, omnia constipet, foveat, coaceret! cum mihi nihil jam ultra habituro nihil desit, & non mortale amplius existat, quicquid desidero, plusque ultra satagam desiderare. At enim verò *Macedonicus* inclaruerit aliquando eminueritq; *Metellus*, viguerit etiam virueritque, dum viguit viruitque, florentissimus Senator, pollutissimus Prætor, ornatisimus Imperator, conspicuus maximè Aëdilis, splendidissimus Consul; multò tamen gravior, longè acceptior atque jucundior fuerit Senatui populoque *Lubecensi*, recordatio sui etiam *Metelli*, sui Consulis primi, atate ac dignitate perceleberrimi, Magnifici atque Consultissimi Viri, DN. ANTONII WINCLERI, JCTi Excellentissimi, Patris patriæ desideratissimi.

A 2 Cujus

Cujus aliquot ante dies ad æternam evecti felicitatem, splendida origo, splendidioritatem progressus, splendidissima demum dignitas, & hanc excipiens funestissimus è vitâ egreditus, ulteriori & Metelliana & Vincleriana peropportunità compariatione, paulisper adhuc continuandâ, LECTORIBUS HONORATISSIMIS, debitâ eam ruminaturis veneratione, perdiligenter exhibebitur. Uberrimè ac verissimè deprehendetur omnino, qvicquid natale mortalium expectare valet votum, qvicquid adulteri potest accedere virtutis, prudentiae, gravitatis, qvicquid denique honoris in culmen glorioſissimum evecti, vel concipi, vel commemorari, vel consummatum ſisti ullaſtius voluerit, id cunctum in Lubecensi Metello, Magnifico WINCLERO, exſplenduisse, antecelluisse, enituſſe, ac diuturnâ eademque venerabundâ recordatione quam serissimè propagatum iri.

Nasci eum voluit Æterni Numinis providentia in urbe Hanſaticarum principice civitatum Lubecâ, die 27. Novembris, A. MDCXXXVII. parentibus ei nobilissimis datis: patre quidem, Viro Nobilissimo, Excellentissimo, Consultissimo, DN. BENEDICTO WINCLERO, Jcto & Syndico Lubecensi celeberrimo; Matre autem, Nobilissimâ atque praelarissimâ, CATHARINA BRANDIS/ è prænobili ac perantiquâ BRANDISIORUM Hildesienſium stirpe oriundâ. Avum veneratus est paternum, Virum Nobilissimum Amplissimumque DN. ANDREAM WINCLERUM, Confulem Soltqvellensem gravissimum; Aviâ gavissimam paternâ, matrona Ornatisimâ, MARGARETA HUNSEN/ Viri Spectatissimi PETRI MATTSEN, reliqua Viudâ. Avus ipsi maternus fuit, integrissimus atque spectatissimus Vir TÖNNIES BRANDIS, Negotiator olim florentissimus; Avia autem Materna, Matrona clarissima, Viri & Mercatoris spectatissimi BERENS filia. Cum puero ipsi undecimi erepta eſſet funesta Nobilissimi patris morte A. MDCXLVIII. fidelis ultra educandi cura, ob raras ei adjectas animi dotes, studia ejus teneriora adhuc redditâ sunt lucidiora atque alacriora, ductu Virorum perquam eximiè tunc de ludo literario publico merentium, DN. LIPPII, & DN. LINCKII; ulteriori abhinc clarissimè promota atque exculta aulicio, Virorum præclarissimè ac solertissimè de otio literato meritorum, DN. KÖCKERTI, DN. BANGERTI, & DN. MEIERI. Evaserat nunc aptus atque accommodatus, eximiâ eleganter dilendi progressione, sublimiori Academiarum confuetudini: unde A. MDCLV. Lipham profectus, egregiam doctrinæ perliberalis telam, solidiore contextu concinnavit, eo usque, dum conſtitueretur Ephorus generolorum juvenum à RÖDEN paris, unâ cum hoc Lipsia Heidelbergam perrecturus. Elabebatur interea triennium, quando A. MDCLVIII. affumis via comitibus generosis hiſce juvenibus

nibus, *Heidelbergā* concedebat *Francofurtum ad Māntūm*: partim, ut ho-  
norificentius licet observare, quām augustē ac splēndidē corona eminenti-  
sima imponeretur vertici gloriōlo invictissimi Imperatoris LEOPOLDII.,  
partim, ut *Gieffensem* invilere Acadēmiam, docentibusque ibidem Viris un-  
dīquaqe celeberrimis gnaviter attendere, integrum ipsi existeret. Regre-  
fis deinde *Heidelbergam*, commoratusque adhuc ibidem per annos aliquot,  
eum adulatore conspicuus jam juris legumque peritiae esset, *Tubingam*, inde  
*Argentoratum* petuit, hoc omnino, & isto confilio politiore, ut in politissimas  
rēgiones, *Galliam* atque *Italiām* tenderet, ibique res praecipue visu &  
memoriā dignas curiosissimē observaret. Consumto in hac nobili peregrina-  
tione tempore bene multo, in *Germaniam* reversus, *Vienne* aliquantisper  
substituit, ut in penitorem Aulā Imperatorię, Aulicique imperialis Consilii  
cognitionem ac familiaritatē se inlinuere satageret. Progediebat hinc  
*Spiram*, (quia nondum ibi tunc extinctum *Camera* judicium expiraverat,)  
quā conditionem ejus illūstremque statum solerter inuerteret, atque con-  
templaretur. Per tredecim continuos jam annos celebrem, Viro Amplis-  
simō, peregrinationem obeunti, jucundior tandem occurrebat, & obverla-  
batur memoria superstitis adhuc in patriā Nobilissimā Mātris: quare hūc  
filialem peroptanti redditum morem quoqve gesturus, ac tenetimo ejusdem  
desiderio satisfacturus, in animū laudabiliter induxit, natalem urbem re-  
visere. Unfratis igitur in optimā reversione, perspectisque attento non mi-  
nus animo quām oculo, illustrissimarum potionibus Aularum turbibus, *Dresdā*  
*Berolino*, *Casseliā*, *Hannoverā*, & *Cellā*, ut ulū aliquando perisigni ac emo-  
lumento convenienti excellentior ista cognitione foret. flospes A. MDCLXVIII.  
atque incolumis *Lubecam* rediit. Vixdum vtererat annus, quando *Kiliam*  
*Holsatorum* Acadēmiam d. XVI. Aprilis A. MDCLXIX, concedens, habitā  
publicē inaugurali, de *Jure interventionis*, Disputatione, summo in jure  
titulo Doctoris solenniter exornabatur. Reducem post annum Novellum  
juris Doctorem A. MDCLXX. amicis & comibis compellavit precibus, (pro-  
missō pariter & misso singulari aliquo munificentia gratissimā documento),  
Generosa Matrona à RANDBØEN/Heres in *NEUHAUS*/ut ge-  
nerolum ejus filium DN. CAJUM a RANDBØ/ potentissimo *Dania*  
Regi à Consiliis primū provincialibus, postea etiam intīmis, in *Galliam*  
protecturum, & comitaretur, & reduceret. Cui honesto pariter ac decoro  
ut satisficeret desiderio, confecto illustri per *Galliam* itinere, tñā cum via  
generoso comite, *Viennam* se contulit, visuque ac obseruationē condignas res  
ibi providentissimē intutus est. Eveniebat insimul, ut commoranti ibidem  
Consultissimo Viro, peculiaria quādam juxta votum expedienda negotia pu-  
blica, à Magnifice Senatu *Lubecensi* committerentur, commissa proponerentur,  
proposita consummarentur.

Cum maturavisset porro exoptatissimum in patriam redditum, primis in  
amoribus coepit esse Virginis tum Nobilissimā ac perornatissimā, ANNĀ,  
Viri Nobilissimi, Amplissimi, ac Prudentissimi DN. PETRI JESCHKA  
GENS / in Senatoriā dignitate, insigniter olim constituti, filiæ. Floren-  
tissimo huic connubio perjucundum accessit supplementum, prognatus d. XIX.



*Julii A. MDCLXXI.* filius, Vir Nobilissimus atque Excellentissimus DN.  
BENEDICTUS PETRUS, u. J. D. celeberrimus. Dies *XIV.* mensis la-  
beatur *Martii*, A. MDCCXCVIII. quando huic nubebat Generosa Vidua ab  
~~HÖVELN~~ / MARGARETA, Viri Generosi & Prudentissimi, DN. HIN-  
RICI DIETERICI à ~~RÖCKHORN~~, Senatoris Amplissimi Lube-  
censis, filia. E quā festivitate conjugiali adhuc dum supereft unicus perama-  
bilis Heres, Magnifici ac Generosi AVORUM deliciola qvondam voluptas,  
Genitricisq; generola gaudium adhuc peculiare, Iuvavissimus Nepos, spei opti-  
ma indolisque generola, ANTONIUS HINRICUS; qvoniā Nobilissi-  
mus ejusdem pater A. MDCCII, a precipibus mortalium negotiis ulterius in-  
teresse jam defuit. Communi verò destinata utilitati, maturitas excellen-  
tissima WINCLERIANÆ virtutis, gloriolè effecit, ut *XXIV. Maii* mensis  
die A. MDCLXXI. in numerum patriæ Procerum prudentissimorum condi-  
gnus SENATOR, cooptaretur. Inde, quā dexteriō efficacitate, qvo ar-  
dore singulari, qvo eminente consilio, ornamentum præclarissimum, ade-  
pto conciliare atque addere honori Senatorio allaboraverit, annis usq; ve per-  
insigniter fuerit, ut florentiori commodo publico, ut increasentib; sensim  
commerciis, ut rei denique communī plus ultra perrectura, decus, augmen-  
tum, vigor, & accederet, & amplificaretur, & perennaret: omnium uber-  
rimè & certissimè testificabuntur, tam in cancellis aſſervata publicis illu-  
strissima monumenta, qvām series amplissima atque augustissima multiplici  
perfectarum vice legationum. Qvandoq; vidē A. MDCLXXXIII. Hamburgum,  
A. MDCLXXV. Mühlbusum, missus est, ut circulari ibidem con-  
ventui interefset: anno pōst MDCLXXVI. ad Potentissimum primò Ele-  
ctorem Brandenburg: cum, deinde Viennam, ut in Aulā Imperatorię commis-  
ſas sibi res civitatis exequoretur, commigravit. Præterea A. MDCLXXVII.  
ad Aulas Cellensem atque Brandenburgicam, A. MDCLXXXI. Brunsvi-  
gam profectus est, inde Cameram tunc S. R. I. Spirensim petens: A.  
MDCLXXXIII. Berolinum, A. MDCLXXXVI. Cellam, A. MDCLXXXIX  
Hamburgum, conspicuus hic maximè, facundus, & publicus Orator able-  
gatus est, ut, partim jura qvondam Civitati patriæ cum finitimiis controver-  
ta vindicaret, partim decus, florem, emolumētum utilitatis publicæ &  
animadverteret, & tueretur, & propagaret. Per ardua igitur hæc negotia,  
per hos insigniū gradus meritorum, per fœnēbras halſe laudes, eniteba-  
tur tandem dignitas percelebris *VVINCERIANA*, in magnificum su-  
premi cacumen honoris, Calendisq; Maji A. MDCXCIV. Confulari  
apice & fastigio perficiebatur atque consummabatur. Sed enim lux vicesi-  
ma prima mensis *Martii* A. MDCC. placido è vitâ discessu Conjugis præ-  
clarissimæ ac Nobilissimæ, ANNÆ *SENNHAGEN* amara-  
ras thalami Confularis delicias lugubriter interrumpebat. Effluente  
inter ea quinque annorum spatio, in animum induxit Magnificus hic Viduus, ma-  
ritalem redintegrare amorem, futuramque in posterum tori sociam A.  
MDCCV. domum ducere Nobilissimam atque præcellentissimam Ma-  
tronam *CATHARINAM*, natam *FRISIAM*, Viri Maxime Reverendi  
atque Excellentissimi, D. *NIEMANNI*, Theologi celebratissimi, & gra-  
visimi ac meritissimi Ducatum *Holstia & Slesvici* Superintendentis Gene-  
ralis,

ralis, reliquam. Vitudin. Evidet vigebat aliquantisper pollens & firma Viri Magnifici valetudo, firmiora pollicens virium ac roboris semper augusti suplementa, usque eò ut octogenario major evulsus esse crederetur, attamen, cum ante aliquod tempus plurima amplissimè ingruerent dolorum fastidiorumque incommoda, quibus cum confitari, graviter necessum habuit, debilitati præcipue ventriculi, invalidia, tam vehementer decumbentem adorta est affixaque, ut vix ulla superesset spes, fore, qd prostrata ac ferè deficiens quies restauraretur, aut ærumnola eujuscunque cibi & potus nausca cessaret; quamvis strenuam opotunamque aucto indies, malo medicinam opponeret peritisima dexteritas Nobilissimi atque Excellentissimi Viri D. NICOLAI HANNEKENII, primarii Lübecki Poliatri celeberrimi, Quapropter aliquid certius ac beatius circumspiciens remedium qvarumcunque adversitatum, CONSUL MAGNIFICUS, religiose curavit, acceperit diuinæ interpretem veniae, Virum Admodum Reverendum, Amplissimum, & præclarissimum DN. JACOBVM à MELLE, Templi Mariani Pastorem meritisimum, ut, subministrante ejus manu, coeli epulo reficeretur, & duodecimo præcipitantis hujusce mensis die, sanctissimum itineris novissimi commematum recipiendo nancisceretur. Vix dum dilucidebat, vixdum altera lux à tunctissimis Februarii Idibus primo emergebat mane, quando fama luctuosissima usquequaque divulgabat, BEATISSIMUM CONSULEM, spiritum magnifice de bono communis merito tranquille effusisse, ac celo dedicavisse, & ad septuagesimum usque annum ætatem gloriosissimam prolatando, discessisse.

Circumscribit iam peracceptis invaletudinem VIRI MAGNIFICI terminis, gratiola cœli optimè providentis moderatio, ei que largissime ulteriore nauamenti moram in morosisimo mortaliu[m] contubernio, id divinum liberæ indulxit jus civitatis supreme, ut cœlesti resurgens perennis laticejubare, placido curarum tediiorumque iustitio perfruatur, & desiderata acerbitatum qvarumlibet prolatione perpetuè exhilaretur. Coruscat interim, & coruscante predicationis lumine exuberabit, & splendide perdurabit tam vivax fama, quam decus celeberrimum, ac perpetuaturus honor Magni nominis WINCLERIANI: non ante honorificentius commemorari desiturus, quam deflerint omnino surreptique fuerint cuncti, qvorum animis, religiose probitatis, adulæ Virtutis, solidæ eruditio[n]is, illustrium meritorum admiratio, amor, cura, obseruantia penitusimè infixa, & glicent, & hærebunt, & perpetuabant, & commemorabantur. Enitesce ac grato seræ studio posteritatis jugiter obversabitur excellentissima consularis eleganter eruditæ cognitio accumulata animi! Requiretur sapius, & percupidis multoties repetetur votis, matura & ad qvemlibet Reip. statum sagaciùs subducta WINCLERI prudentia! Inclarescet solertissima civium cura,

qva

quam immortalem isthanc sibi peperit conciliavitque dignitas primi  
**CONSULIS** concelebrationem: exitisse eum grande ac primum Reip.  
lumen, peregregium CURIAE ornamentum, grandevamque populi  
Lubecensis voluptatem. Si **CONSILLIUM** cuidam consulares à Con-  
sule Romano diligenter commendatae virtutes ac opera pereximia sup-  
petiverunt, vigilare nimirum, cogitare, adesle animo, semper aliquid  
pro Rep. aut dicere, aut patrare, fortunā, tempore, consilio provide-  
uti: non solum videre, quid agatur, verū etiam multò ante provi-  
dere, quid fortean futurum deinde sit: merito suo peculiari id sibi as-  
serit, tenet, vindicat **WINCLERIANA** prudentia, prudentissi-  
ma alacritas, alacerrima sagacitas, & sagacissima **CONSULIS**  
**MAGNIFICI** dexteritas. Multò enim antea procuraverat, ut vi-  
tae, si fata vellent, provectioni, & multiplicia meritorum vestigia  
perseverarent impressa, & claulula gloriofior imponeretur. Unde  
latus lubensque ad perennem coelestis Capitoliī consortionem trans-  
latus, continuatā in omne ævum beatitudine perfruetur, nec un-  
quam terminanda coelestis Senaculi amoenitate exaturabitur.

Dum autem hodie indictivum **CONSULIS MA-**  
**GNIFICI** funus celebrandum est, supremi decus no-  
vissimum officii eidem accommodare, & freqventissi-  
mo adaugere ac amplificare illud comitatu dignabun-  
tur, **MAGNIFICI DNN. CONSULES**: Generos.  
**DN. DECANUS**: Maxime Rev. & Excellentiss. **DN.**  
**SUPERINTENDENS**: Nobiliss. Consultiss. Ex-  
perientiss. **DN. SYNDICUS**, & Doctores: Admo-  
dum Rev. & Praclariss. **DN. SENIOR**, PASTORES,  
& SYMMYSTÆ: Nobiliss. Ampliss. & Prudentiss.  
**DNN. SENATORES**, PROTONOTARIUS, &  
SECRETARI, & omnes præterea sive cultores, sive  
Æstimatores dignitatis Virtutisq; **WINCLERIANÆ**:  
ut **MOERENTIUM** æque desiderio perliberali, &  
nostræ invitationi perqvam officiosæ comiter ac  
benignè satisfiat.

P. P. Lubeca d. XXIV. Februar. A. MDCCVII.



Avg





Nc 885.

40

ULB Halle  
001 556 347



3

Sb.

WDT

2.6





**E X E Q V I A S  
I N D I C T I V A S ,**  
**V I R I**  
**Magnifici, Nobilissimi, & Consultissimi,**  
**D O M I N I**  
**A N T O N I I**  
**W I N C L E R I ,**  
**J C t i   C e l e b e r r i m i ,**  
**C O N S U L I S   i n c l y t æ   L U B E C E N S I U M   R e i p .**

## L U B E C A E,

Typis Viduæ B. SCHMALHERTZIE

